TENTAMEN MEDICUM

INAUGURALE,

DE

VARIOLIS.

TENTAMEN MEDICUM INAUGURALE,

DE

VARIOLIS.

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI conſenſu,

Et nobiliſſimae FACULTATIS MEDICÆ decreto,

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini ſubjicit

PASCAL PAOLI DREW,

HIBERNUS,

CHIRURGUS,

Necnon

Soc. Reg. Med. Edin. Soc. Extraord.

Ad diem 12. Septembris, hora locoque ſolitis.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR et SMELLIE,

Academiae Typographos.

M,DCC,XCIII.

Digitized by the Internet Archive
in 2020 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b31966329_0002

Viro illuſtriſſimo

GEORGIO MASAN VILLIERS,

Comiti de Grandiſon,

Ex Conſiliis Regis Arcanis,

&c. &c. &c.

Scientiarum amore,

Et

Virtute omnigenâ

Inſigni;

Hoc Tentamen,

Ob multa beneficia

In ſuos collata,

Sacrum vult,

A U C T O R.

TENTAMEN MEDICUM

INAUGURALE,

DE

VARIOLIS.

Auct. PASCAL PAOLI DREW.

PROŒMIUM.

"OMNIS homines, qui ſeſe ſtudent prae-
"ſtare caeteris animalibus, ſummâ ope
"niti decet, ne vitam ſilentio tranſeant, veluti
"Pecora, quae Natura prona, atque ventri obe-
"dientia finxit." Cum vero noſtra vis aeque
in animo ac in corpore ſita, oportet ingenium
ſummâ diligentiâ exercere, quo noſmet belluis

praeſtantiores oſtendamus; praeterea omni laude eſt dignus, qui aliquo negotio intentus laborat, atque artis vel ſcientiae praeclarae famam quaerit.

"Alia autem aliis eſt mens; hic, exempli "gratiâ, ingenio praeditus inſigni philoſophiam "colit, literaſque quaerit; ille, e contra, corporis poteſtate praeſertim gaudens, viribuſque "fidens, miles fit, domi luxurias parvi aeſtimat, caſtra petit, atque timore haud ſuperandus, periculis obviam it. Qui vero aurum "cupit, ſit mercator."

Inter haec autem varia hominum negotia, meum eſt (ſors enim ita voluit) ſtudio medicinae incumbere. Et, propter leges almae hujus academiae, quae decreverunt unumquemque prius diſſertationem inauguralem in lucem edere, quam adipiſceretur honores medicos—nempe

gradum

gradum doctoralem—pauca de Variolis dicere volui.

Auctores nec pauci, nec parvi nominis, hâc de re ſcripſerunt; quapropter aliquid novi dicere nequeo; ſatis quidem erit, juveni legibus jam dictis parenti, pauca ex ſapientum ſcriptis colligere. Sed qua ratione Europae incoli hoc morbo peſtifero foedoque correpti fuerunt, prius dicere fas ſit, quam ad hiſtoriam ejus ſignorum, &c. ventum fuerit.

Ut aliarum rerum, ita quoque morborum originem, indagare difficillimum eſt. Perſaepe quidem eſt opus pretio indignum; nam fruſtra conamur. Quod ad variolas attinet, res ita ſeſe habet; quânam annorum centuriâ, quâ ex cauſâ, neque quânam orbis terrarum regione, originem ſuam duxerunt, pro certo haud novimus. Praeterea, plurima alia, medicorum attentione magis digna, latent. Inter quae memoratu ſunt

digna,

digna, quare bellua aliaque animantia nunquam, et homines ſemel tantum in vitae decurſu afficiuntur; quare quaedam familiae graviſſime, quaedam e contra leviter, aegrotant; quare puſtulae certo die ſe oſtendunt et definito tempore decedunt. Haec quidem et plurima alia de contagionis naturâ, de ſignis variolas comitantibus, &c. eruditi medicinam feliciter cum excercentes tum indagantes nondum explicaverunt.

Si auctores antiquos retractes, Graecos aeque ac Romanos, ne quidem hujuſce morbi veſtigium invenies. Hae gentes enim variolis intactae extiterunt. Attamen non defuerunt medici, qui aliter putaverunt. Rhazes, Arabicus, et de Haen, exiſtimaverunt, et Galenum et Celſum variolas depingere voluiſſe; hunc ſub ſpecie varorum; illum vero Carbonis Peſtilentis. Perlegenti vero hos libros, Rhazen, et de Haen, erraviſſe patebit. Celſus varos diſcribit

ut

ut cutem aliquantulum deformantes, et dicit,
“ Pene ineptiae ſunt curare varos: Sed eripi
“ tamen foeminis cura cultus ſui non poteſt.
“ Vari commodiſſime tolluntur impoſita reſinâ,
“ &c.” Sed hac de re diſſerens, ne mentionem
ſane facit morbi formidoloſi in populum late
longeque graſſantis, contagio ſuo integras fami-
lias afflantis, et nemini parcentis. Praeterea, cel-
leberimus Sydenham, ſub finem cap. 4. ſect. 5.
de Variolâ agitans, affirmat. “ Cujus, nec a-
“ pud Hippocratem veſtigium ullum, nec apud
“ Galenum inventum (niſi quis forte locus dif-
“ ficillimâ ratione torqueatur); et poſtea: Si
“ enim per antiquiora tempora perinde ac nunc
“ dierum hic morbus invaluiſſet ſagaciſſimum
“ Hippocratem opinor, is nunquam latuiſſet.
“ Qui cum morborum hiſtorias et clarius in-
“ tellexit, et deſcripſerit accuratius quam poſt-
“ natorum quiſpiam, et hujus etiam deſcriptio-
“ nem genuinam atque ſimplicem, pro ſuo more,
“ nobis reliquiſſet.” Sydenhamo hac de re,

Frendius,

Frendius, Swietenus, et plurimi denique medici, nunc accedunt.

Poſteris quidem variolarum hiſtoriam tradiderunt Arabes. Inter quos fortaſſe prima exordia hicce morbus habuit, et exinde contagionem ſuam vulgavit ad reliquas mundi regiones. Inter auctores, qui ejus ſtudio incubuerunt, praeſertim eminet Rhazes. Hic enim medicus Arabicus non modo variolarum, et diſcretarum, et confluentum, hiſtoriam, prognoſin, &c. ſed etiam medendi methodum, nunc dierum minime ſpernendam, ſcripſit; et haec anno ſalutis mundi 900 fecit. Utrum vero foedus hic morbus apud Arabes primo ſit ingeneratus, an ad eos ex India Orientali advectus, auctores hiſtoriam colentes nondum luculenter explicaverunt.

Rhazes, de variolis agitans, vix ſcribit, quaſi morbi novi ignotique ſigna tradere voluiſſet. Potius vero quaſi diu perſtitiſſet et gens humana

ſaevitiâ

ſaevitiâ ejus diu agitata fuiſſet. Si res ita ſeſe habuere, nonne mirandum, regiones ſaltem vicinas variolis tam diu participes non fuiſſe, et tam diu labe, aeque propter naturam ejus peſtiferam ac propter diros ejus effectus timendum, immunes evaſiſſe? At ſi hiſtoriae fidendum ſit, Arabes olim populi fuerunt Barbari, agreſtes, et reliquis terrarum parum noti. Poſtea vero, incitatione religioſâ et mentis permotione acti, ad regiones vicinas adiêrunt bellatores, et, Mahomede auſpice et duce, Ægyptum, Perſiam, Syriam, et Paleſtinum, in ſuam ditionem redegerunt. Neque hic loci ceſſabant; ſed, furore et quaſi inſania correpti, ad gentes Aſiaticas iter fecerunt; quibuſcum bellum geſſere; et Licia et Silicia potiti ſunt. Sub initium octavi ſeculi, ad Africam profecti fuerunt, et in populos, qui oras Maris Mediterranei incoluerunt, impetum fecerunt, et Africanos aeque ac Arabicos vicerunt. His peractis, trans mare Mediterraneum

navibus

navibus provecti fuerunt. Et religionem ſuam vi et armis vulgavere, et, eorum imperii fines praetendere volentes, Hiſpaniam, Italiam, aliaſque Europae gentes, feliciter pugnaverunt.

At Europaei, iracundiâ incitati, exercitum magnum, pluribus ex gentibus conflatum, coëgerunt; et, foedere inito, ad Sanctam Terram iter fecerunt. Qui non modo Mahometanis gratiam propter injurias jam acceptas referrent, ſed etiam Hyeroſolymam ex manibus eorum impiis eriperent. Aliquando acriter fortiterque, ſed ancipiti eventu, pugnatum fuit, multâ clade utrinque illatâ et acceptâ. Tandem Chriſtiani non modo belli calamitatibus, omnibus rebus adverſis, onuſti, ſed variolis, morbo ſane foediſſimo, deturpati, animis propter res geſtas minime contentis domum redierunt.

Hac ratione variolae Europam ingreſſae ſunt, et

et contagio ejus peſtifera longe lateque in populum celeriter graſſata eſt, nec aetati, nec ſexui, nec ordini, denique, parcens.

Finem verſus centuriae annorum duodecimae, ſaevitiam variolarum bene noviſſe Britannos, ex ſcriptis Joannis de Gaddeſdon, medici Angli, certiores facti ſumus. De illis ex hoc tempore, ad mediam uſque proximi ſeculi fere, ſiluerunt auctores. Donec tandem Sydenham medicus, (cujus memoriae aeque propter inſigne ejus ingenium, ac propter magna beneficia ab illo in genus humanum collata, honos eſt tribuendus) deſcriptionem hujus morbi genuinam atque medendi methodum, cujus veſtigia feliciter etiam nunc dierum ſequimur, nobis reliquit.

HISTORIA.

Signa quae variolas praeſertim inſignunt, in egregio opere, Synopſi Noſologia Methodicae, nitide atque breviter enumeravit celeberimus Cullenus. Hunc morbum ad claſſem primum, Pyrexias, et ordinem tertium, Exanthemata, ei referre placuit, et verbis ſequentibus definivit.

"Synocha contagioſa cum vomitu, et ex epi-
" gaſtrio preſſo dolore."

"Tertio die incipit, quinto finitur, erup-
" tio papularum phlegmonodearum, quae, ſpa-
" tio octo dierum, in ſuppurationem, et in
" cruſtas demum abeunt. Saepe cicatrices

" depreſſas,

" depreſſas, ſive foveolas, in cute relinquen-
" tes."

Duplex vero eſt variolarum ſpecies; ſunt enim diſcretae et confluentes. Diſcretae a quibuſdam iterum dirimuntur in benignas, et adjunctas ſive contiguas; et confluentes in ſimplices, putridas, et cryſtallinas.

Hae duae ſpecies ſibi ipſis eſſentialiter diſſentiunt, cum quod ſymptomata praecipua, tum quod puſtularum formam, attinet. Speciei diſcretae hiſtoriam hoc modo tradit Cullenus.

" Variola puſtulis paucis, diſcretis, circumſcriptione circularibus, turgidis; febre, eruptione facta, protinus ceſſante."

Confluentis vero ita: " Variola puſtulis numeroſis, confluentibus, circumſcriptione ir-

" regularibus,

" regularibus, flaccidis, parum elevatis; febre " poſt eruptionem perſtante."

Talis eſt forma morbi in genere; ſed neceſſe eſt ut ſignorum hiſtoriam multo accuratius reddamus.

Diſcretae circiter meridiem cum rigore et horrore invadunt; langueſcit aeger et laceſſit, atque ſymptomata pyrexiae incipientis ſeſe oſtendunt. Haec calor excipit, qui, ſecundo et tertio die, intenditur, donec fit intenſus admodum; capitis et dorſi vehemens eſt dolor, vomiturio adeſt, necnon doloris ſenſus in partibus quae ſcrobiculo cordis ſubjacent, ſi manu premantur; ſpiritus difficilis; oculorum rubor, et arteriae temporum ſolito crebrius et validius pulſant. Hoc morbi ſtadio infantes, inter dormiendum, ſaepe exiliunt, et ſtupore tamen et ſomnolentiâ afficiuntur, et nonnunquam paroxyſmis

roxyſmis epilepticis corripiuntur, et in adultis, ingens eſt in ſudores propenſio.

Variolae, finem verſus tertii diei, ſecundum Cullenum, quarti vero diei, ſecundum Sydenham, (qui primum etiam incluſit), ab invaſione erumpunt. Nec papulae novae in conſpectum prodire deſinunt, primo ſuper faciem, et poſtea, in aliis corporis partibus, per totum quartum diem; quinto vero die finitur eruptio.

Quo tempore papulae erumpere incipiunt (id eſt tertio die) minuuntur admodum pyrexiae ſymptomata, eruptione vero factâ, id eſt, quinto die, protinus evaneſcunt.

Eruptio hanc ſpeciem prae ſe fert. Primo, puſtulae ſubrubrae, vix eminentes, acicularum punctionibus ſimiles, ſe prodeunt. Hae plerumque faciem ſparſim occupant. At, ſi praeter ſolitum ſint numeroſiores, diſcretae tamen ſunt,

neque

neque ſe ipſas ingrediuntur. Nonnunquam etiam eodem tempore in collo et pectore, dein in univerſo corpore, ſeſe oſtendunt.

Quinto vel ſexto die, papulae in faſtidium elevantur, quod liquorem coloris expertem, ſerumque referentem, continet. Per biduum veſiculae, in quibus eſt liquor, tantummodo lateſcunt, et foveola in parte media uniuſcujuſque formatur. Octavo vero die, formam induunt ſphaeroidalem. Ab initio puſtulae vel veſiculae circumſcriptione ſunt circulares, et margine rubenti circumdantur, et intervalla, pro puſtularum quibus obſidentur numero, rubere incipiunt.

Inflammatio, ſi puſtulae ſint numeroſiores, colorem exhibet in puſtularum interſtitiis ſatis floridum, et roſarum damaſcinarum aemulum. Hoc morbi ſtadio, non modo puſtulae grandeſcunt, et in molem attollentur, ſed facies tumeſ-

cit;

cit; et, progrediente morbo graviore, palpebrae uſque adeo implentur extenduntúrque, ut aeger luce fere privetur. Qui quidem palpebrarum tumor veſicam inflatam ac reſplendentem, per eandem extenſam, non male refert. Ex hoc tempore puſtulae ad maturitatem accedunt; non amplius ſunt coloris expertes, neque ſerum referunt; primo albeſcunt, et demum fuſcum vel flavum induunt colorem. Die undecimo, faciei tumor atque inflammatio ſatis aperte recedunt, et puſtulae maturitatem ſatis juſtam adeptae ſunt. Hoc morbi ſtadio faſtidia ſingularum puſtularum maculâ fuſcâ deturpantur, et eodem ipſo tempore vel circiter ſponte erumpunt puſtulae puremque effundunt; hinc deplentur et mole minuuntur. Cruſta quoque ſatis dura ex pure ſpiſſeſcente formatur. Nonnunquam vero pus partim modo effunditur, ſed reliqua pars, aeque ac pars effuſa, ſicca atque dura fit. Poſt paucos dies, cruſtae, ex materiâ arefactâ formatae, decidunt; et cutis nudata colorem

lorem exhibet fuſcum. Neque ſtatim in fugam vertitur hicce color. Cutis e contra per plures dies foede decolorata et fuſca apparet. Si materia puſtularum (interdum enim fit) ſolito ſit tenuior, aegrius ſpiſſeſcit; hinc ſerius ſquamulae decedunt. Et perſaepe non modo cutis decoloratio cernitur, ſed etiam inaequalitas: Reliquuntur enim cicatrices depreſſae, ſive foveolae, et diu vidiuntur morbi veſtigia.

Quod ad faciem attinet, res ita ſeſe habent, et paulo ſerius univerſum corpus eaſdem mutationes ſubit. Puſtulae vero, quae manus occupant, nonnunquam, vi venarum reſorbentium, pure deplentur, et veſiculae videntur vacuae, pure vel materiâ omnino expertes.

Die undecimo, ut modo diximus, decedit faciei tumor; et nunc tumeſcunt manus aeque ac pedes. Hi vero minuuntur, vel ad magnitudinem

tudinem ſolitam redeunt, ſimul atque eorum puſtulae maturitatem juſtam adeptae fuerunt.

Si faciei puſtulae numeroſiores ſint, pyrexia, quae quinto die abierat, decimo vel undecimo recrudeſcit; ſed, ſimul atque matureſcunt, in fugam vertitur febris, vel fortaſſe (accidit enim nonnullis exemplis) leviuſcula manet uſque ad puſtularum maturitatem quae manus et pedes occupaverunt.

Praeter pyrexiam, aliud comitatur ſignum, obſervatione dignum, ſcilicet cynanche. Dolorem enim faucium ſexto ſeptimove die ſentit aeger. Vox rauca evadit; et liquor tenuis ex ore effunditur. Pro ratione faciei tumoris haec ſymptomata graviora fiunt. Poſtea vero tenacior et craſſior fit ſputus, faucibus adhaeret et difficillime excreatur. Deglutitio, et nonnunquam etiam ſpiratio, eſt difficilis, et alimenta in os aſſumpta protinus per nares rejiciuntur.

Detumeſcente vero facie, decedit quoque angina. In infantibus, vice ptyaliſmi, ſupervenerit ſaepius diarrhoea.

Quamquam hoc in morbo puſtulis deformantur partes corporis externae, veriſimile tamen eſt, (ut patet quidem cadaverum inciſione) cute ſolummodo inſidere, et ulcuſculis varioloſis omnino expertia viſcera interna reſtare. Cotumnius cadavera quadraginta et plura, conſilio dirimendi hanc controverſiam, ſecuit. Sed in partibus internis nulla veſtigia puſtularum invenit. Conſilio eodem, quatuor diſſecuit Tiſſot; nullam autem oſtendit totus alimentarius tractus, nullam larynx trachea, vel pulmo. Quibuſdam vero in avibus, quae India Orientali variolis opportunae reperiuntur, puſtulae eaſdem ſupra dictas partes occupare, dicuntur.

Haec de variolis diſcretis dicta ſunt. Symptomata quae confluentes praeſertim inſigniunt,

cum

cum diſcretis fere communia ſeſe habent; niſi quod multo ſunt atrociora omnia; atqui, quod ad nonnulla attinet, quidem ſibi ipſis omnino diſſentiunt.

Pyrexia quae eruptionem antecedit multo ferocior ſaevit. Pulſus arteriarum frequentiores micant, ictuſque contracti obſervantur; ſcilicet, referentes typho laborantis. Coma urget; delirium ſaepius ſupervenerit, atque vomiturio incipiente morbo aegrum vexat. Excruciantur infantes paroxyſmis morbi comitialis, qui nonnunquam mortem ſecum prius afferunt quam eruptio incipit, vel variolas confluentes et putridas ſaltem denunciant. Nihilominus non ita hic in ſudores diſſolvitur aeger, ac in alio genere jam ſuper dicto. Diarrhoea inſuper nonnunquam ante eruptionem praecedit; et ad diem unum alterumve poſt illam protrahitur; quod quidem in diſcreto variolarum genere nunquam obſervatur, teſtante Sydenhamo.

Papulae

Papulae die tertio, horâ matutinâ, vel etiam citius, erumpunt, quas comitantur ſubinde rubor eriſipelatoſus per corporis ſuperficiem ſparſus, vel papulae confertae et corymboſae, morbillorum ſpeciem prae ſe referunt. Finitâ eruptione, faciei puſtulae numeroſiores ſunt, minores, atque parum eminentes. Praeterea, poſt eruptionem, mitiora ſunt pyrexiae ſigna, nunquam vero omnino decedunt; ſed poſt diem quintum ſextumve graviora fiunt, aegrumque deinde per totum morbi decurſum vexant.

Veſiculae, quae veſtigia puſtularum occupant, citius formantur; hae quidem lateſcunt, et formam vero circularem minime induunt, ſed omnino ſunt irregulares. Plurimae quidem ſibi invicem implicitae ſe habent, inſtar veſiculae vultum totum tegentis; et veſiculae in figuram ſphaeroidem non turgeſcent. Hinc planae reſtant, ſolitam cutis ſuperficiem non multum ſuperantes.

Si

Si alquando puſtulae interſtinguantur, margine tamen rubente non circumdantur, neque interſtitia colorem floridum roſarum Damaſcenarum aemulum exhibent; e contra, omnes cutis partes puſtularum expertes pallidae et flaccidae manent. Praeterea, puſtularum liquor ex pellucido opacus fit, et in album vel fuſcum colorem vertitur; nunquam vero flavus vel tenax obſervatur, ut in variolis diſcretis.

Tumor faciei, qui variolas diſcretas, in quibus ſolummodo praeter ſolitum numeroſiores ſunt, comitatur, hic ſemper adeſt. Facies quoque maturius aegriuſque tumeſcit. Die decimo et undecimo tumor decedit, et nunc puſtulae erumpentes liquorem effundunt; ex quo ſpiſſato cruſtae formantur fuſcae, vel etiam nigrae, quae non niſi poſt plures dies decedunt. Squamulae furfuraceae has excipiunt, indoles perquam corroſivae, quae non modo patentiores excavant

foveas,

ſoveas, quam ſolent variolae diſcretae, ſed etiam faciem cicatricibus deturpant.

Puſtulae, quae alias corporis partes occupant, magis ſunt interſtinctae, quam quae vultui ſunt propriae. Sed nunquam ad juſtam maturitatem accedunt, neque pus aeque tenax ac in variolâ diſcretâ ſecernitur.

Ptyaliſmus, vel fluxus ſalivae, nonnunquam modo diſcretae, ſemper vero confluentis, eſt comes. Qui cum anginâ adultos praeſertim vexat, dum alvi profluvium infantes invadit.

In hac morbi ſpecie permagnam debilitatem, et ſigna quae inſolitam fluidorum proclivitatem ad putredinem denunciant, fere ſemper obſervamus; *e. g.* Petechias inter puſtulas, veſiculas ſerum continentes, et cutem obtegentes, quae ad gangraenam accedere videtur. Urinam ſanguine coloratam, fluxus quoque ſanguinis

ex

ex aliis corporis partibus, et haec omnia huic variolarum ſpeciei ſunt propria.

Denique, pyrexiae ſigna, quae, eruptione finitâ, mitiora fuerunt, recrudeſcunt ex quo tempore puſtulae ad maturitatem attigerunt, et ſaepe vi formidoloſâ ſaeviunt. Hicce inſultus nomen audit, Febris Secondariae. Quae fere ſemper eſt periculoſa; nunc magis, nunc minus.

DE CAUSIS.

Hiſtoriâ morbi jam traditâ, nunc conſiderandae veniunt cauſae. Diſtinguunt medici morbi cauſas in proximam, et remotas; et remotas in excitantem, et praediſponentem. Prius vero de cauſâ excitante, quam ad praediſponentem, vel proximam, ventum fuerit, pauca dicere fas ſit.

DE

DE CAUSA EXCITANTE.

Morbi hujuſce hiſtoria, quatenus notitiam ejus ullam habemus, experientia omnium, quia variolis ſani inficiuntur acceſſu ad aegrotum aut inſitione, et contra, ſi contagio abſit, prorſus immunes evadunt; haec omnia oſtendunt morbum a contagione ſpecificâ oriri, quae primo febrem, dein eruptionem in corporis ſuperficiem, profert.

Nos de naturâ ejus prorſus ignaros fatemur; neque effectus ejus in corpore vivo melius intellectos eſſe ſtatuere audeamus. Cullen cenſet, hoc miaſma in fluida noſtra fermentatione quadam agere, partemque earum haud exiguam naturae ejus aſſimulare; et hanc per cutem tranſire, partim cum materia perſpirabili conjunctam e corpore excerni, partim vero in puſtulas

tulas ſeponi. Cauſae, quae plus hujuſce materiae unâ potius quam alterâ viâ tranſire determinant, ſunt conditiones quaedam cutis ipſius, quae materiam morbificam ei inhaerere magis proclivem reddunt, et hinc puſtularum copia major in uno quam in altero.

Cutis haec conditio ex diatheſi phlogiſticâ ejus pendere poteſt, quae forſan ab irritatione aliquâ ei applicatâ, praeſertim a calore externo, oritur. Hinc regiminis antiphlogiſtici ac frigoris applicati commoda, primo aſpectu, ſeſe oſtendunt. Contra, calor, medicamenta calefacientia, cardiaca, et alia, ut aetas adulta, diaeta valens, tempeſtatis anni, ac coeli quoque conditiones, quaedam ad diatheſin phlogiſticam diſponentes, peſſimos effectus ſaepe produxerunt.

Ad phlegmaſiam quoque proclivitas, ſymptomatum, quae in variolis confluentibus apparent, explicationem praebet; ut differentiae in pe-

riodo eruptionis, in febris vehementiâ ac duratione, in formâ ac figurâ puſtularum, in materiae magis ad putredinem pronae effuſione, ac in aliis morbi ſymptomatibus.

DE CAUSA PRAEDISPONENTE.

Debilitas, utpote homines omni contagioni facilius inficiendos reddens, quodammodo morbi hujuſce cauſa praediſponens conſiderari poteſt. Sed procul dubio *primaria* quaedam ac *peculiaris* praediſpoſitio exiſtit, quae fluida corporis humani a materia varioloſa aſſimulari, ac fermentationem quandam ſubire determinat; infectio enim ſemel tantum in vitae decurſu accidit, et exempla plurima extant, ubi miaſma in ſyſtema ſanguiferum evidenter receptum fuit, quin effectus ulli ſecundarii ſequerentur. Doctor Mead memorat, foetum in utero variolis infectum, ex eo quod mater ejus infanti variolis

riolis laboranti famulata eſt, quanquam illa morbo iſto olim afflicta fuiſſet. Nobis quoque cum Domino Dryſdale, Edinburgenſi, Noſocomii Chirurgo Domeſtico, partui adeſſe contigit, ubi infans plurimis puſtulis varioloſis, et in facie, et in corpore opertus, in lucem editus eſt. Mater multis foveolis ex morbo, qui in aetate infante ipſam invaſerat, foedabatur; et hanc rem plane admirandam huic tribuebat illa, quod paucis antea diebus quendam morbo laborantem in brachiis ſuis habuiſſet. Itaque *peculiarem quendam praediſpoſitionem* in iis, qui morbum nondum paſſi ſunt, eos potius inficiendos reddentem, concludere aequum eſt. An conſtat, in differentiâ quâdam, quâ eorum fluida ex fluidis iſtorum, qui ad morbum ſuſcipiendum incapaces ſunt, diſcrepant, nondum probatum eſt; et, quoniam nullas res factas aſſerendas habeamus, tantum conjecturas facere audeamus.

DE

DE CAUSA PROXIMA.

Hanc opinionem amplexi, ſcilicet, miaſma variolarum quaſi fermentatione quâdam aſſimulante in fluida eorum, qui ad morbum proclives exiſtunt, agere, neceſſe eſt ut concludamus, "Cauſam morbi proximam in hoc conſtare; quod "ſanguis plus minus contagione inficietur, durante fermentatione; et quod particulae contagioſae in ſyſtemate accumulentur; et morbi ſpecies diverſas, ſive mites, ſive malignas, "ex gradu diverſo aſſimilationis, et proclivitate "cutis ad inflammationem pendere, adeo ut "molimina naturae ad morbidam materiam "expellandam prohibeantur."

De cauſis dictis; nunc ſigna, quae medico vel ſpem vel metum injiciant, recenſebimus. Quippe de diagnoſi aliquid dicere vix opus ſit; nam,

nam, ſi hiſtoriae debita attentio adhibetur, locus nulli errori graviori relinquetur.

PROGNOSIS.

Quo ſanior habitus, et quo lenior eruptio, et quo accuratior ſpecies morbi diſtincta ſit, eo mitior et tutior erit; nam confluens nunquam caret periculo; et, ſi petechiae aut magnae debilitatis ſigna ſeſe oſtendunt, periculum valde augetur.

RATIO MEDENDI.

Quoniam exanthemata fere omnia, et variolae praeſertim, cum iiſdem ſymptomatibus, ac febres, nullam eruptionem habentes, incipiunt; patet, nulla ſigna certa, quibus morbus dignoſcatur, ſtatuenda poſſe. Si tamen pyrexia, quemvis variolas nunquam antea paſſum, invadit, et ſimul morbus ſit epidemicus, aut ſi aegrum contagione objectum fuiſſet, cognoſcitur, tunc vix

ac ne vix quidem ulla dubietas accidere poteſt, quin morbus ſit re verâ variolarum invaſio. Ideoque tractandus eſt aeger eodem modo ac ſi morbus ab inſitione acciperetur.

In Variolarum forſan regimine, res melius cedet, ſi ſtadia diverſa ac ſymptomata, quae ſeſe invicem excipere conſuerunt, ſeparatim attendantur.

Stadia Variolarum, ſive Periodi, ſunt quatuor, quae certo ſeſe ordine inſequuntur.

I. Stadium febris eruptivae, quod generatim a die tertio ad quintum perſtat.

II. Stadium remiſſionis, quando ſymptomata moleſtiora levantur, expulſâ verſus corporis ſuperficiem materiâ morbificâ, quod in genere perſtat tres dies vel ultra.

III. Stadium maturationis et ſuppurationis, quod

quod in variolis diſcretis haud ultra diem decimum vel undecimum protrahitur.

IV. Stadium febris ſecundarii, quae ſaepe, puſtulis areſcentibus, ſupervenit.

CONSILIA MEDENDI SUNT.

1. Violentiam febris eruptionis moderari.

2. Symptomata, quae maturitatem puſtularum idoneam impediant, amovere.

3. Febri ſecundariae obviam ire, aut leviorem reddere.

4. Vires aegri ſuſtinere, et tonum ſyſtemati reſtituere.

CONSILIUM PRIMUM.

Morbi aliquando forma adeo mitis atque pyrexia adeo lenis, ut nil fere medico

faciendum

faciendum Natura relinquit, niſi regimini antiphlogiſtico exacte adhaerere, atque aegrum aëri libero frigidoque objicere, ſimulque cathartica leniora, et diluentia, ſum acidis fructuum nativis, porrigere.

Tamen, ſi hic methodus haud ſatis febris vehementiam moderetur, et contra ſi pyrexia ſymptomata ingraveſcant, ſi pulſus plenus ac durus, ſi ſpiritus difficilis, parvus, atque anxius, calor corporis atque ſitis intendantur, dolor capitis ſaeviat, ſanguinem e vena mittere neceſſarium erit; et praeſertim ſi aeger ſit adultus, corporiſque habitus plethorici lautaeque nimis vivendi rationi aſſuetus. Sal nitri, potus acidi, et clyſmata exhibeantur. Conveniet quoque vomitorium medicamentum, utpote haud exigui in omnium febrium initio beneficii remedium, porrigere; praeſertim ſi in hoc morbo ventriculus laboret, ut a dolore, anxietate, ejus vomituque ſpontaneo, apparet.

Infantes

Infantes ſaepe, perſtante febre eruptiva, convulſionibus corripiuntur; ſi harum una aut altera tantum veſpere ante eruptionem factam occurrat, morbum ſatis mitem eſſe ſecuturum ſperare liceat; attamen, ſi citius ſeſe oſtendunt, ſi frequentiores atque violentiores evadant, haud magno periculo cavere videntur, et auxilium praeſens atque immediate afferendum eſt. In hunc finem, doſis opii, ſatis larga, remedium efficaciſſimum atque promptiſſimum celeberrimo Culleno videtur; ſed, ſi aër frigidus libere admittatur, tali remedio vix opus erit.

Haec ſunt remedia quae ſtadium primum poſcit; ſed, ſi quinto die febris remiſſionem ſatis evidentem non ſinit, ſi puſtulae in facie numero plurimae, et haud ſint diſcretae, indicationes novae oriuntur.

CONSILIUM SECUNDUM.

Eruptione jam factâ, ſi febris ſymptomata perſtant, aut graviora fiunt, ſi pulſus arteriarum juſto pleniores atque duriores evadant, conveniet ſanguinem e brachio detrahere; ſed certius adhuc catharſis indicatur. Venaeſectionem iterum celebrare raro reſpondebit; quia vires multum imminutae cito ſatis inſequuntur; ſed cathartica et clyſmata laxantia, frequentius repetita, in genere proſunt. Per totum morbi decurſum, medicamenta, ex antimonio parata, parvis doſibus, quae nauſeam excitent, porrecta, optimos effectus praeſtare inveniuntur; praeterea, vicem catharticorum ſatis ſupplere poſſunt. A die quinto, omni nocte, hauſtum anodynum hora ſomni ſumendum praeſcribere conveniet, per totum morbi decurſum; curâ tamen ſemper adhibitâ, ut alvus liquida catharticis, per os ſumptis ac clyſmatibus, ſervetur.

Quando

Quando virium defectus atque alia putredinis indicia ſeſe oſtendunt, corticem cinchonae, copiâ ſatis largâ, atque vinum libere bibendum, porrigere oportebit; acida quoque ac nitrum ſaepius dare conveniet.

Si morbus admodum vehemens ſit, eruptione non penitus in cutis ſuperficie factâ, puſtuliſque haud ut oportet matureſcentibus, ſed parum elevatae, depreſſae, aut flaccidae, fluidum aquoſum continentes, largae et confluentes appareant, tunc veſicatoria diverſis corporis partibus ſatis magna, ac nullâ puſtularum ratione habitâ, admovenda ſunt, praeſertim carpis ac talis; ſi faucium tumores aut deglutitio difficilis adſint, cum ſalivâ viſcidâ et muci craſſioris copiâ, epiſpaſtica faucibus externis applicanda ſunt, et gargariſmata detergentia diligenter ſunt utenda.

Sola res, quae veſicatoria contraindicat, eſt, quia

quia ulcera ſanatu difficilia, aut etiam in gangraenam vertere, producere poſſibile eſt.

Diarrhoea moleſta eſt ſymptoma haud infrequens in variolis, ubi adeſt acrimonia putreſcens, et tunc forſan re vera colliquitiva eſt, ac nullis remediis profliganda. Auxilium tamen quoddam ab opio, ac aſtringentibus, aliquando petendum eſt. Sed, quoniam purgatio ſaepe in hoc morbo critica eſt, (quod cognoſcitur praecipue ex eo quod pulſus plenior ac fortior evadit, aegro minus anxietate ac morbo oppreſſo), cautio tamen aliqua in eorum uſu adhibenda eſt.

Quando eruptio adeo conſerta eſt, ut ad exhalationem e cute impediendam valeat, humores qui hâc viâ excerni conſuerunt, aliâ forſan viâ aut excretione deferuntur, ut urinae copiâ auctâ, et ſimul aquoſi fluidi quantitas haud exigua inter telae reticulatae pedum ac manuum cellulas ſive interſtitia effunditur, adeo ut artus

hydropis

nydropis ſpeciem aemulentur; ad has partes levandas, tum ad particulas aquoſas a ſanguine expellere proderit, imprimis ad quantitatem urinae excretae attendere, ac eam, quantum in nobis eſt, lenibus diureticis ac nitri doſibus repetitis promovere.

Haec ſunt ſymptomata praecipua quae ſequi conſuerant, et quorum regimen omnino memoratu dignum meretur.

CONSILIUM TERTIUM

Tractationem febris ſecundariae complectitur; haec plerumque ſuppurationi incompletae et expulſioni imperfectae materiae varioloſae tribuitur. Haud in omni variolarum ſpecie ſeſe oſtendit, in diſcreta ſive leni nunquam, et raro poſt variolas inſitivas; nam materia morbifica omnino a maſſâ ſanguinis expellitur, et totum abit

abit in puſtulas; ſed, ſi ſuperveniat, plerumque incipit, eo circiter tempore cum puſtulae plenae, turgidae, ac tenſae apparent, et haud amplius materiae aſſimulatae recipiendae capaces ſunt.

Quando variolas diſcretas inſequitur, et pulſus plenus et durus adſit, eodem modo ac ſynocha, regimine antiphlogiſtico, ſedantibus ac evacuantibus remediis tractanda eſt. Contra, ſi confluentes excipiat, aut febris, quae antea aderat, continuatio ſit, morbus putridi generis conſiderandus eſt, et cortex cinchonae, praeſertim cum acidorum uſu largo, aëri frigido ac vino generoſo, adminiſtrandus eſt.

Medici catharticum unum vel alterum, poſt morbum finitum, ad faeces morbi eliminandas, porrigere ſolebant. Si in morbi curſu ſymptomata phlogiſtica praecipue ſeſe prodierunt, haud ſine fructu adhibere poſſunt. Sed, ſi ſigna putredinis praevaluere, corticis cinchonae uſum

largum

largum continuare, tum corrigendi acrimoniam, tum robur ſuſtinendi, ac tonum ſyſtematis reſtituendi, intentione, melius erit.

FINIS.